Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1205

Quelle:
Copyright:

quarta feria, cum quatuor tempora &c. inſtarent. Item: *Tunc receſſit Juuenis Schenk de limpurg* (Academiae, ut videtur, diſcipulus). *Zetter, Gruer detenti per principem Albertum 5tum* (homines fortaſſe factioſi uni Tutorum ejus adhaerentes). *Tunc erat magna peſtilentia in franconia.* Hactenus homo temporum ſuorum curioſus.

VII. *fol.* 128. *Concordancie*, ut e calce adſumo, *ſuper totam ſummam fratris thome ſuper 4 ſcripta ſententiarum et ſuper ſummam contra gentiles ſecundum ordinem alphabeti.* Accedit *Alia tabula ſuper ſcriptum quarti* (Sententiar.) et *Contradictiones ſancti thome*, quibus tamen alia manus ſuperimpoſuit: *Has contradictiones non credo omnes poſſe reperiri in ſcriptis ſancti Thome.* Quin et ipſe Librarius ita finit: *De hijs autem contradictionibus vide concordanciam in quodam libro ſuper hoc ſpecialiter compilato.* Nos jam utrumque alibi hoc *Volumine* retulimus.

VIII. *fol.* 170. *Articuli*, ut in calce habetur, *Paryſius dampnati.* Habetur ejusmodi Syllabus in *Bibl. PP. Lugd.* T. XXV. p. 329. alius ad calcem *Sententiarum Pet. Lombardi* edit. *Lovan.* 1546. f. Omnes habent *Stephani Templerii* Ep. *Pariſini* Praeloquium, quod incipit: *Univerſis preſentes literas inſpecturis Stephanus permiſſione diuina paryſienſis eccleſie miniſter* &c. ſed iſtud aliis a. 1270. aut 77. nobis vero a. 1286. datum eſt. Praeterea *Articuli* in noſtro Codice ad alphabetum coordinati ſunt, et adpendice inſtructi, quae VII. *Articulos* continet circa formam Corporis humani *Oxonii* condemnatos nulla temporis addita mentione.

IX. *fol.* 175. *Hic annotatur Decretum abbreuiatum, in quo ſub planis verbis continetur tota vis id eſt intencio decretorum, omnes diſtinctiones, cauſe et cuiuslibet cauſe queſtiones, et cuiuslibet queſtionis ſolutio regulariter declarata prout ſecundum Magiſtrum Gratianum determinantur in decretis.* Haec Inſcriptio labore levat plura dicendi. Addit tamen Scriptor: *Explicit Auratum* (Decretum?) *ſatis incorrectum propter exemplar.*

X. *fol.* 178. p. 2. *Incipiunt Rubrice et principia decretalium in quinque libros ipſarum;* videlicet *Gregorii* IX.

XI. *fol.* 184. p. 2. *Vſus chilindri.* Initium: *Pars 8 que eſt de vſu chilindri 4er habet Capitula, quorum primum eſt de altitudine ſolis, 2m de punctis vmbre, 3m de horis diei 4m de altitudine rei.* Succincta ad Gnomonicen Inſtitutio, neſcio unde, evulſa.

DXV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 314 XIV. Folior. nunc 180. f. maj. per duas columnas charactere craſſiuſculo, pallidiore exaratus, coloribus illuſtratus, ſed aevo aliquantum adtritus, et olim, ut Theca praefert, a M. *Petro de Pirchenwart* datus ducali Collegio *Commentarius* vaſtus eſt *in Libb. I. et II.*